

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8685

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1248, mai

Lieu d'émission : Neufchâtel-en-Saosnois

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

CHARTRE DE SAINT LOUIS, ROY DE FRANCE. — Saint Louis étant venu visiter l'abbaye de Perseigne, au mois de mai 1248, confirme toutes les possessions du couvent, en souvenir de son passage. De plus il donne aux religieux cinquante-cinq acres de terre labourable comme compensation d'un droit d'usage dans la forêt de Bourses, et qu'il avait concédée au couvent du Trésor Notre-Dame. Il affirme toutes les immunités déjà accordées, en considération du respect qu'il porte à tout l'ordre de Cîteaux, et de l'affection particulière qu'il éprouve pour l'abbaye de Perseigne. Mai 1248.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XXI, p. 59-61.

Texte d'après a

Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus quod nos volumus et concedimus quod monachi de Persenia cisterciensis ordinis habeant et teneant in puram et perpetuam eleemosynam liberam et quietam quinquaginta quinque acras terre arables quas Guillermus de Verbryea quondam baillivus noster eisdem monachis assignavit, de mandato nostro, in foresta nostra Burse, in recompensationem usagii, quod dicti monachi habebant in essartis ejusdem foreste, que essarta dedimus monialibus de Thesauro Nostre Domine, et concessimus in perpetuum habenda. Volumusque et concedimus quod homines ipsorum in dictis acris terre manentes in futurum, seu residentiam facientes, sint liberi et quieti de talleis, corveis, auxiliis, visionibus, subsidiis, coustumis, moults, reparatione castrorum, villarum, pontium et viarum, omnique alia consuetudine et seculari exactione. Et si ipsi monachi in dictis terris, domos seu habergamenta, pro utilitate et necessitate sua, edificare voluerint, volumus quod ipsas de foresta nostra Burse facere et sustinere valeant absque molestia, quandocunque sibi viderint expedire. Concedimus etiam et confirmamus prefatis monachis et successoribus suis tenementa, feodium, libertates, census et homines, redditus que et quos habent ex concessione et eleemosyna Hervei quondam domini Esseiis, et tenementa ac feodum Radulphi l'Abbe, G. Troussevael, Johannis Lebigot de Esseio, Guillermi Livrarot et Rogerii La Vache, eleemosynamque et feodum, homines et tenementa que dedit eisdem monachis Johannes presbyter et dominus de Buressart et alia que habent in quibuscumque locis, sive feodis in tota parrochia supradicta, eleemosynam etiam illam, quam Robertus de Esseio, quondam canonicus rothomagensis eisdem contulit et legavit, et illam eleemosynam quam Hugo de Bellomonte super quadam domo, et aliis apud Esseium eisdem delegavit. Tenementa etiam, res, possessiones, feoda, domos, homines, census, et

redditus que fuerunt autem hujusmodi sita in villa et parrochia Alenchonis, et alibi habergamenta de Columbariis, de Aprella, de Plantaeis, cum hominibus, terris, pratis et pertinentiis suis, et decimas, quas habent ibidem, et decimam de Forgis et quidquid habent tam eleemosyna, emptione, quam alio justo titulo in toto comitatu nostro Allenchonis, decimam etiam quam habent in tota parrochia de Goduchon, et tercianariam de Merula Radulphi, prout dicte decime per metas et limites dividuntur, et sicut in cartis bone memorie Jordanis quondam lexoviensis episcopi Robertique et G. de Choardon, dominorum de Goduchon, et aliis plenius continetur. Volumusque et precipimus, ut ipsi monachi et successores sui eorumque causam habentes et habituri, sint quieti et liberi de coustusmis, passagiis, pontagiis et exitibus omniisque alia consuetudine et seculari exactione de omnibus rebus, quas vindiderint et emerint, vel deportari fecerint in omni terra nostra tam per terram quam per aquam. Concedimus insuper et confirmamus eisdem monachis et successoribus suis usagia, que habent in forestis nostris de Bursa et de Escobis, ad omnia necessaria sua prout in omnibus et singulis cartis et in privilegiis Willermi comitis Pontivorum, Johanni et Roberti comitum Allenchonis plenius continetur. Preterea volumus et concedimus quod carte ipsorum monachorum et privilegia, cum universis et singulis clausulis in eisdem contentis et expressis a nobis et predecessoribus nostris, fundatoribusque suis, sive quibuslibet aliis Christi fidelibus eisdem data et concessa absque corruptione, vel diminutione aliqua inviolata permaneant perpetuo ac etiam inconcussa, que et quas per omnes et singulos articulos confirmamus ac etiam innovamus. Unde propter devotionem illam maximam quam ad dictum monasterium Persenie et etiam ad totum ordinem cisterciensem certum est nos habere, volumus et precipimus ut prefati monachi et successores sui habeant et possideant universa et singula, que in presenti carta sunt inserta, in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosynam, cum omni jure, dominio et justitia ab eisdem honorifice in perpetuum possidenda. In cuius rei testimonium presentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Perseniam, anno incarnati Verbi millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense maio.